

N. J. 10




75

DOCTRINAM
DE
GRADIBVS BEATITATIS
FVTVRAE
IUVENILIS PIETATIS INCITAMENTVM
COMMENDAT
AD
ACTVM ORATORIVM

A. D. VIII. IAN. HOR. II. POMERID.
IN GYMNAS. EVANGEL. LVTHER.
HABENDVM
MORE MAIORVM DECENTER
INVITATVRVS
IOANNES PETRVS MILLER A. M.
RECT.



9.



HALLAE MAGDEB.
FORMIS SVIS EXSCRIPSIT I. I. GEBAYER.
c16cclxvi.



DOCTRINAM
 DE
 GRADIBVS BEATITATIS
 ETVRAE
 IUVENILIS AETATIS INCITAMENTVM
 COMMENDAT
 AD
 ACTVM ORATORIVM
 A. D. VIII. IAN. HOR. II. POMERID.
 IN GYMNAS. EVANGEL. LUTHER.
 HABENDVM
 MORE MAIORVM DECENTER
 INVITATVS
 IOANNES PETRVS MILLER A. M.
 RECT.



HALLE MAGDER.
 FORMIS SVIS EXSCRIPST. L. GRAYAN.
 clajccclxv.





commendaturus in Moshemiano illo opere, in quo perficiendo omnis mea industria versatur, piis mentibus omnibus constans idemque intensissimum castitatis studium, usus sum, ad hoc incendendum magna illa et alta sententia CHRISTI, qua pura pectora DEVM intuitura, gravissime affirmat Matth. V. 8. de singulari et eximio prorsus, quod necesse est, beatitatis genere ea verba interpretatus. Nam quis non videt, in proximis commatibus suam cuique virtuti mercedem, ut quaeque ipsius naturae maxime accommodata intelligitur, tribui atque vindicari? Quae dum meditabar et chartae mandabam, nactus mihi videbar copiam, in eum locum excurrendi, qui ut est in se multo ad cogitandum jucundissimus, ita etiam ad disputandum gravissimus; minus vero, quam par est, in Theologia, quantum ego quidem sciam, satis hucusque tractatus. Nolo autem ipsa illa verba repetere Tomo VII. p. 236. a me non alio, quam bono hoc proposito consilio, ut cordati videlicet viri illud *περίβλημα* curiosius examinarent. Satis sit, hic notasse, non eam esse, visam politam ibi a me quaestionem, quae probari queat, viro docto, cui acta litteraria Lubecensia debemus; opposuisse illum potius ea mihi dicta S.S., quae solutis ab omni malorum dolorumque sensu mentibus, plenissima atque aeternum duratura gaudia pollicerentur Ies. 35, 10. Apoc. 21, 4. Pl. 16, 11. Ego vero non is sum, nec, ut spero, habeor, qui, quae semel audacius at temerius arripuerim, mordicus tenere huc usque sueverim. Et missum etiam hoc *περίβλημα* jam quidem sponte mea facerem, quodsi illud ad curiositatem magis, quam pietatem alendam pertinere existimarem. Adhuc modo causam mihi meam acturo aequi iudices, quibus minus inconsultum videatur, de rebus divinis ita caste et caute philosophari, ut, quemadmodum in aliis locis facere et solemus et debemus, quae pressius de ipsis tradita sunt in divinis litteris, ea vero enucleatius et plenius disputando enuntiemus.

I. Et primum quidem in hoc una omnium magna est et suavis consensus, pios omnes a suo, ex hoc vita in coelum discessu incredibili felicitatis cumulo ornatum iri, nihilque de illis malis, quibus mortales premebantur et corporis sarcina onusti, ibidem sensuros.

II. Quae vero tantam nos sperare jubent beatitatem, argumenta, ea nihil impediunt, quo minus statuamus, tot millia hominum non uno eodemque sen-



sensu felicitatis et laetitiae affectum iri, sed majori alios, minori alteros. Iam, cum *earundem qualitarum discrimina*, sive diversitatem ejusdem beatitatis, intensive spectatae, *gradus* solemus a Philosophis edocti, nuncupare: hos ipsos in caelites cadere, paucis docendum est, antequam quales ii sint futuri, exquisitum a nobis catur.

III. Et fateor, pauca nobis esse de natura conditionis illius beatissimae, ad quam cultrices DEI mentes a corporis ruina evehentur, divinitus tradita. Quoniam vero non est dubitandum, quin, quemadmodum summa est regni utriusque et gratiae, et gloriae illius *isovoulia*, et divina sibi ipsi semper constat *oinovoulia*, utpote sapientissima: ita etiam multa *καθ' ἀνωθεν* ex praesenti fidelium conditione ad futuram istam possint transferri. Etenim et iidem homines sunt, et eadem fere bona, quibus caelo redditi olim omnes affluemus. Nam quibus nunc fruuntur CHRISTI cives, bona, pax et familiarior cum DEO consuetudo, mentis mira et magna tranquillitas atque quies, et quae sunt his similia; ea vero praesensio sublimioris gaudii et quasi quaedam primitiae, plenioris messis praenuntiae, sunt censenda Rom. 8; 23. Et perfundentur his quidem perennaturae laetitiae rivulis singuli atque omnes, quotquot per suam in Christum fidem iusti sunt liberique ab omni peccatorum reatu suorum a Deo ipso pronuntiat: nemo tamen negaverit, alios aliis magis impetrata sua cum Deo reconciliatione reliquisque ornamentis suis laetari. Quod qui in dubium vellet vocare, omnem sane vim conscientiae sustulerit, necesse est. Hujus enim non alii intelliguntur fructus jucunditatis, quam qui ex memoria multorum pie et recte factorum percipiuntur. Repugnat vero etiam experientia. Nam qui magnis sese vitii inde a juventute contaminaverunt, quamvis eorum veniam Christo conciliatore impetraverit: tamen ipsorum memoria atque recordatione saepius et iniquissimo maxime quovis tempore ita affliguntur, ut haud raro animus, quamquam salutis suae certus, misere aegritudinis poenitentiaeque fluctibus agitetur. Non cadit, fateor, talis et tam vehemens dolor in hanc, quam animo nobis divinitus edocti, informamus, futuram beatitatem. Solutae enim erunt mentes corporis sui vinculis, cujus atra malaque bile, languoribus, morbis, *δυσμωρία*, totque ac tantorum, quibus haec mortalis vita carere non potest, malorum sensu identidem affliguntur, et ita opprimuntur, ut vix ac ne vix quidem erigere sese, dum cum his tantis et tam variis luctatur malis, ad caelestia et alta genitus possit animus.

Efficiam mox ut spero, hoc clarius, PAVLLI exemplum testatus. Hunc scilicet carum Deo et bonis omnibus heroem novimus, ita certum fuisse, gratiosum se quidem esse apud Deum, ut certior esse possit. In eodem vero quotusquisque est, qui dixerit, gratiam ita penitus delevisse cum alias ingenii naturales facultates, tum vero inprimis memoriam, ut, quae gesta sint a se in omni vita sua, oblitus fuerit? Invito id sancto homine diceret, qui ipse non erubuerit, plus una vice iniquissimi sui et insensissimi in Christum et nascentem civitatem ejus, animi mentionem facere 1 Tim. 1, 13. Phil. 3, 6. Quoties vero malesanae istos et praeposterae pietatis furores cogitabat, profecto non poterat non, majorem in modum tantoque vehementius affligi, quanto ardentius eum, in quem ita faciverit, jam quidem deperiret et reverentissime coleret. Quae dum mecum perpendebam, non errare mihi visus sum, qui illud *καταψίξεν* maligni genii istumque *σκόλωμα ἐν τῇ σαρτί* de melancholia ex recordatione insidiarum, quas dixi, rei chri-

christianae olim structuram, (in *Erhica Mosb. P. VI. 561.*) acceperim. Quorum quidem omnium nihil potuit sentire IOANNES. Eundem vero Paullum contentaneum est, statuumus, vicissim effatissime fuisse laetatum, quoties itinera, labores, cruciatus et tot item tantaque Christi causa, suscepta vitae discrimina cogitaverit. Tum vero dicendi ejus genere nihil elatius nihilque sancte gloriosius, ut est Rom. 8. 35. 2 Cor. 11. 23 sqq. 4. 16 sqq.

Atqui vero puto, PAVLLVM, qui nunc in caelis versatur, eundem adhuc esse, nihilque differre ab eo, quem, qualis in militante ecclesia fuerit, cognitum sacris ex commentariis habemus. Et quemadmodum inter omnes constat, *gratiam non tollere naturam hominis, perficere tantummodo*: ita etiam de gloria existimare contentaneum est. Ut enim recte disputant adversus nonnullos scielos Theologi, quodsi alia corpora ac diversa ab iis, quae in hac vita circumgestavimus, restituti ex ista ruina, acciperemus; futurum esse, ut longe alius sit futurus, non is, qui hic fuit, Petrus, Paullus, Ioannes: sic et de animo adhuc multo magis pronuntiandum est. Finge enim, memoriam Paulli ita deletum iri, ut sui fibimet non sit conscius; ut ignoraturus sit, se esse eundem, qui Damascum pefumo in Christum Regem consilio profectus, ab hoc incredibili indulgentia in discipulatum, immo vero ad sanctissimum sua vice in terris munus obeundum adscitus sit: negare tu ipse idem deberes, Paullum esse, qui jam principatu isto gloriae et beatitatis gauderet. Tum vero quis locus vel praemiis, vel poenis esse possit? Idem vero est censendum de reliquis beatis, quorum nemo adeo omnem sui conscientiam et vitae ante actae memoriam deposuit, ut non et bene et male a se gestorum sit recordaturus. Quae ut jam singulatim ad Davidem, Salomonem, latronem in furca Christum venerantem et ad alios transferam, non est necesse.

IV. Applicabo ergo haec potius ad hunc de gradibus beatorum difficiliorem et commemorabilem locum. Dixi jam, *gradus* non melius intelligi, quam si in qualitate eadem discrimen aliquod intensiois; aut, si majus et minus, tibi cogites. Immo facile esset, ab exemplis mutuari lucem, e media vita petitis, nisi molestum esset, rebus tritis abhaerescere diutius. Et gradus quidem beatitatis fore, Theologi clarissimis S. S. locis, v. c. 1 Cor. 3. 8. 15. 41. 2 Cor. 9. 6. coll. Gal. 6. 9. Io. 14. 2. Rom. 2. 5. Matth. 19. 28. 20. 20. Luc. 19. 17. 22. 30. muniti docent; HIERONYMVS vero, alter Achilles, aliquando etiam acerbus adversus IOVINIANVM, secus, at fortassis alia in causa non inique, statuentem, illos tuebatur. (WEISMANNI *Intrad. in hist. S. P. I. p. 404.*) In re ipsa explicanda recentiores cautius versati sunt, fortassis ob hoc ipsum, quod viderent, *aureolas* illas, quas Martyribus, virginibus et doctoribus, (conditioni adeo externae, non ipsi majori pietati,) Patres tribuebant, papicolarum vanis religionibus alendis, ut levicula est superstitione, inservire. Verum hoc non obstat, quo minus rem, dignam cogitatione nostra et luce penitius excutiamus, modo nihil audentius definiamus ipsi. Qui vero omnino hoc nefas existimant, viderint, quid sit illa, quam sibi fingunt, Theologia et quam parum a puerorum catechetica institutione distet. Neque philosophia hic alia opus est, quam quae eadem sit cum sensu cuique communi. Nam ubi tibi cogitas naturam quamdam *fnitam*, tum etiam largiri debes, eam, quantumvis sit beatissima: non tamen ita bonis cumulatam esse, ut majoribus nequeat. Id unum enim cadit in Deum, ea gaudere felicitate, ad quam nulla possit fieri accessio. Iam ubi majus et minus cogitas, *gradus*, quod



dixi, adfunt. Quos ut intelligas in beatis, *primum* tibi ob oculos ponas velim praemia ipsa, et *dein* beatos ipsos inter se conferas contendasque, oro.

V. De *praemiis* ipsis primo loco dicemus. Neque vero metuo, ne quis voce offendatur. Nam quamquam obedientia et virtus fidelium et valde manca est, et in se ita parva, ut minime tanta felicitate digna sit existimanda, atque adeo haec uni gratiae divinae, Christi meritis nobis partae, debeatur accepta: testantur tamen divinae litterae, Deum fidem fructusque illius, christianas virtutes, ac tervis his bonis clementissime remuneraturum esse Matth. 5, 12. 20, 8.


Haec ipsa autem praemia cum *naturalia* sunt, tum *positiva*. Illa ea bona esse, nemo ignorat, quae ex cuiusque rectae et piae actionis natura fluunt interna. Quoniam vero genus quoddam hominum esse non ignoro, quod vel ipsa vox naturae offenderit: addendum puto, etiam *naturalia* haec, divina esse praemia; propterea, quod universitas rerum omniumque eventuum honorum auctor is ipse unus est, a quo tota rerum series et quasi concatenatio inde a prima mundi origine sapientissime est effecta. Iam, quae ex hoc fonte fluunt felicitas, eam vero non eandem in omnibus ac singulis esse posse, nemo non intelligit. Consequens igitur est, ut quisque maxime vel divina, vel honesta alia disciplina mentem acuerit et perpoliverit; animum vero longo et acri virtutum omnium exercitio emendaverit: ita etiam majores in praestantiori illa vita in utraque laude, scientia videlicet atque virtute, progressionem esse facturum. Non utar id omnibus, quibus opus fortasse fuerit, probaturus *principio individuationis* illo, quo multi offenduntur; quamquam verius illo nihil: sed populariter agam. Age igitur, amice: annon bona animi censes haec insignia: sapientiae divinae humanaeque praeepta tenere, linguas varias expressasque illis sententias graves pectore quasi reconditas servare? Annon jucundum, et multo adhuc magis cum ad admirationem divinae providentiae et adeo ipsam pietatem augendam fovendamque; tum autem ad sapientiam acuendam, inprimis utile existimas, ex omni rerum gestarum memoria scitu maxime dignissimas didicisse? omnino. Iam fodes, ipse ille animus, qui has omnes opes servat, superflus mansurus est, nulla sui parte fato corporis deterior factus. Quod vero si dederis, des quoque illud necesse est, factam et incolumem memoriam suam, factum judicandi acumen, factas et intactas reliquas suas facultates hinc a caducis fluxisque rebus ad caelestia et alta esse allaturum fidelium animorum quemque. Quemadmodum igitur de virtutum omnium et pietatis habitu; quemadmodum de Ioannis molliori ingenio et amore nemo dubitat, quin haec omnia, in quibus infuerunt, animis servata sint: ita etiam credibile est, eos, qui perfectissime virtutes, dum in terris versati sunt, exercuissent, eo pleniores omnibusque suis numeris absolutiores inter caelites effecturos quoque esse. Nisi forte sumas, nullam vim esse in caelo longioris usus, quae quidem in utramque partem solet in terris maxima esse. Quid enim? an Ioannem, Christi stratorem, nihil in hoc differre putas a latrone illo, qui paulo ante suum ex hac vita discessum cum pietate in gratiam redierit, cui is quidem inde a teneris ferventissima contentione studuerit? At in hac ipsa sanctitatis, in tam longo cursu constanter servatae recordatione quanta, quaeso te, non inesse debet dulcedo, quanta voluptas, quam incredibili suavitatis sensus! Sane, ut quaeque maior est perfectio: ita etiam major sit necesse est voluptatis inde percipiendae fructus. Quod igitur, si quis de caelitibus valere neget, persuadeat sibi hanc opinunculam oportet, naturam humanae mentis prorsus in illis mutari. Et tamen angelorum ipsius-

ipſusque DEI O. M. non aliam ob cauſam major intelligitur felicitas, quam quod eorum quidem natura inferioribus noſtra, huius vero, i. e. divina, longe maximis virtutibus ſit exornata. Idem vero et de reliquo perfectionum genere eſt ferendum iudicium. Ut, ſi quis cum NEWTONO aliquo, BOILEO, BERHAMO aut NEWETYTO coeleſtium rerum atque terreſtium admirabilem ordinem, pulcritudinem et incredibilem vim utilitatemque perſpexerit, non poſſit non, quum in caelis illa jam propius intueatur, magna earum rerum et accurata ſcientia ac voluptate ſumma perfundi. Quod iis tantum ſcio abſonum iri viſum, quibus *mundana* omnia. (ſic enim vocant, abiectius de mundo, quam Cicero et ſapientes viri omnes, ſentientes,) ſordent, quod neſciunt, quae ſit eorum ad Deum ipſum, ad fines ipſius et gloriam vera et ſancta relatio. Scilicet parum abeſt, quin tales *ὄρεσφουσι* crepantes humanitatis pudeat aut pigeat ſuae.

VI. Dicendum jam eſſet de gradibus praemiorum *poſitivorum*, i. e. eorum, quae ſuo pro arbitrio illis, quae dixi, naturalibus, addet DEVS, quibusque maximus, ut opinor, cumulus a ſede beatitudinis ipla, a conſortio angelorum, a propiori ad DEI familiaritatem accellu, rel. cumulus accedet. Sed non opus eſt, ut hic longus ſim. Qui enim ſciunt, juſtitiae et aequitatis eſſe, ſuum cuique tribuere ac aequa lance vindicare; bonitatis vero, omnia in aliquem transferre bona, quorum modo pro ſua quiſque conditione ac perfectione capax eſt; ſapientiae denique, ſemper ex graviffima ſufficientiffimaque ratione agere: non dubitabunt, DEVM pro cuiusque fide et pietate remuneratorem ſingulis eſſe futurum. Simpliciter enim Paullus affirmat, *Deum ſuis cuique factis digna ſolutorum* Rom. 2, 6. Matth. 16, 27. 1 Cor. 3, 8. quod de hac vita nemo, aut de ſuppliciiis tantum ad tartara damnatorum, acceperit. 2 Theſſ. 1, 6. 7.

VII. Reliquum eſt, ut quorſum haec a me omnis inſtituta ſit diſputatio, palam fiat. Et primum quidem fas eſt, illorum occupare piam formidinem, qui, dum haec legerint, fortalliſ eorum tranquillitati metuunt, qui ſero ad Servatoris clementiam confuſiſſent, et iis maxime, qui in mortis demum articulo. Atque fateor equidem, inferiore hos eſſe conditione, quam ii, qui ſeſe in flore aetatis Chriſto domino conſecraſſent, et puros ſeſe caſtoſque a vitiiſ et libidiniſ DEI ope, conſtanter conſervaviſſent. Sed fatiſ praecclare cum ipſis agit, quod metu ſuppliciorum omnium liberati, ſperare conſidenter juberi poſſunt, cum Chriſto futuros et ad majorem ſenſim ut virtutiſ, ita etiam felicitatiſ gradum iri evectum; a quo non ſit metuendum, ut umquam iterum, tui quippe omnibus ab inſidiis, tuti a peccatiſ, deſciantur. An fortalliſ inviſuros hos quidem Abrahamo, Paulo, Petro, Stephano, Lutero aut aliis ſanctioribus hominibus praecclariorem eorum felicitatem eſſe; aut propterea parum beatos futuros nos, exiſtimate, quod ab ipſorum laetitia propius diſtemus? Quodſi ergo ſenſu quodam inventutiſ, minus pie aut caſte a ſe peractae, felicitatem quorundam aliquantulum turbari minuiſque ſtatuum, aut iudicem, non omnino omnem poenitentiam a *ζουμι* illa *ἀμαρτωλῶ* eſſe abſuturam in caeliſ, a qua contra liberae ſint futurae caſſiſſimae inde a teneriſ ſuiſ Mariae et Marthae: quid novi dico? quaſi vero, ac ſi id non quotidie in ſanctiſſimiſ hominibus videamus?

Sed inſtaſ, fruſtra haec dici. Non quidem videtur. Non enim perſpicio, quo majori argumento queamus juveneſ noſtroſ ad ſectandam a prima aetate omnem virtutem commovere atque incendere, quam ſi ipſiſ quidem perſuadeamus, et tanto majorem ſanctitatiſ gradum in hoc, et pleniorem felicitatiſ cumulum in altera



altera vita consequenturum unumquemque esse, qui puer sese Christo praecoci pietate totum emancipaverit; neque verendum illi esse, ne recordatio male actae, vel puerilis vel virilis aetatis, senem aliquando aut caelitem inter caelestium olim illos geniorum concentus sit conturbatura. Iam quod ad humanae sapientiae, litterarum omnium et, ut verbo dicam, ingenii animique universam culturam attinet, nolo dissimulare, me saepius ea oratione in meis, ad summam quamque virium omnium contentionem cohortandis, fuisse usum, ut, quae non ad hujus vitae necessitates, sed potius ad ipsum animi ornatum et cultum faciant, scientias, cum corpore perituras negem. Neque me poenitet, de divinarum humanarumque rerum scientia tam elate me huc usque sensisse. Astronomia enim, ut haec una utar, quid quaeso divinius? sed de his nihil Apostoli! O heus tu! quibusnam illi scribebant? Deinde, quam parum sciremus de rebus divinis, si ita vocibus S. S. adhaereremus, ut nullis consecutionibus ex divinis sententiis locum faceremus?

Sed satis haec sint, ad audientiam conciliandam juvenibus, pietatem in h. OELHAFIVM *Latinis* orationibus pro ingenio cujusque suo significaturis, scilicet nostratibus quidem

- IO. AVGVSTO WALD, de *puerili apud Persas maxime, sapientissima institutione*;
- IO. CAROLO STRVMPF, de *obscurata Caesaris victoria, CATONIS virtute*.
- IO. FRIDERICO PALLAS, *Mansfeld. de meritis Caroli M. in rem litterariam, maxime scholasticam, acturis. Denique mihi ipsi, de CATHARINAE II. Russ. Augustae, juventutis et adeo gentis suae, ad omne decus formaticis, laudibus vernacula dicturo.*

P. P. a. d. VII. Ian. c10 Io cclxvi.



JF 3373


ULB Halle 3
002 188 97X




Sb.

V347 Ant.








74

DOCTRINAM
DE
GRADIBVS BEATITATIS
FVTVRAE
IUVENILIS PIETATIS INCITAMENTVM
COMMENDAT
AD
ACTVM ORATORIVM
A. D. VIII. IAN. HOR. II. POMERID.
IN GYMNAS. EVANGEL. LVTHER.
HABENDVM
MORE MAIORVM DECENTER
INVITATVRVS
IOANNES PETRVS MILLER A. M.
RECT.



HALLAE MAGDEB.
FORMIS SVIS EXSCRIPSIT I. I. GEBAYER.
clō 1666LXVI.

9.